



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ærumnæ D. N. Jesu Christi

Thomé <de Jesus>

Monachii, 1676

Ærumna VIII. Persecutio Herodis, & exilium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45834)

meis, in auribus meis, in omnibus sensibus meis, & in corde meo. Fugiet à me infernus, tremant dæmones, cognoscar in cælo, & tu etiam, mi bone JESU, cognosces me. Possúmne ego esse peccator, quin tu sis verus meus Salvator? quid est ergo Jesus, nisi Salvator? O Jesu mi, ô mi Jesu, ô Jesu mi! Jesus, quia tu Salvator es; meus, quia ego peccator. Canta, ô peccatrix anima mea, *IESVS meus*: ne verearis ullam creaturam, imò nec ipsum: canta cum amore, dum est infans parvulus, sicut tu; ut plangas postea cum ipso, quando major erit in Cruce. Noli jam dicere de tuis peccatis, ne sis ei molesta; canta solùm id Nomen, quo tantopere delectatur.

IX. O Jesu, Jesu, Jesu! Jesu dulcis, Jesu suavis, Jesu pulcher, Jesu dives, Jesu amorose, Jesu Divine! Amice Jesu, Jesu Pater, Jesu Sodalis, Jesu Rex & mihi omnia! Quiesce Jesu in isto corde, quod te desiderat, & ardet tui amore. Si est cor peccatoris, tu Jesu Salvator es: si est cor humanum, etiam tu Jesu humanus es. Deficit, mi Jesu, lingua & cor in tua præsentia: & quia ego non possum, loquatur amor meus, ô mi suavissime Jesu: vel loquere tu, ut audiam, & te cognoscam, ô mi dulcissime Jesu!

O Mater Jesu, tam dives cum Jesu, dita cum illo inopiam meam. O cælestis Curia Domini Jesu, quæ non habes majus bonum, quàm illum, recipe me in Societatem tuam, ut potiar & gaudeam semper meo Jesu. Amen.

ÆRUMNA VIII.

Persecutio Herodis & Exilium.

I.



Christus Dominus noster spatio triginta annorum edidit perfectissima virtutum exempla, tacendo interim cælestem suam doctrinam, quam sub finem vitæ, verbo, opere & passione suâ erat mundo propalaturus, ut eo modo veritas Evangelica fieret clarior, & quatenus repugnabat naturæ ac sensui, gratior ac sapidior; doctrina verò carnis & mundi manifestior, & humana tepiditas esset inexcusabilis. Sicut enim errores humani non poterant corrigi, ac revocari in

via

viam salutis, nisi homo imitaretur auctorem suum Deum, quem non videbat, ac proinde conveniebat, ut ipse fieret similis hominibus; ita Deus, ut S. Augustinus ait, factus est homo, ut homo haberet hominem, quem videret, ac Deum, quem imitaretur. Et quia ad imitandum plus valent opera, quam verba, ideo Deus factus homo accepit 30. annos ad operandum, & decimam partem, sive tres annos, ad prædicandum: neque conveniebat officio Salvatoris, ut ulla pars vitæ abiret, quâ illud non exerceret. Propterea ab infantia cœpit facere opus suum, per exempla contraria falsis dictaminibus mundi.

*Lib. 7. de
Trinit. c. 3.
Christus
30. annis
opere decimam
partem vitæ
te verbo
nos docuit,*

II. Communior & ordinarius ferè ingressus errorum in mundum est, quòd, cum primùm perveniunt homines ad usum rationis, insistant viæ, quam inveniunt magis tritam, ea probando, vel reprobando, quæ pleriq; probant vel damnant. Incipiunt statim accomodare se, & instituere res suas, ad honorem, divitias, quietem, oblectationes corporis, hilaritatem, & ut careant omni molestia sensuum, accomodare se ad placitum potentiorum: & hinc se excusant, quòd minùs exerceant virtutem, & vitam contrariam moribus receptis. Inde pro complemento errorum nascitur tepiditas in amore Divino, & oblivio cæli, aliæque vitia, quibus plena est hæc miserabilis vita. Atq; hoc ita inveterata consuetudine, ut non ampliùs sentiat: quod est initium & fundamentum omnium peccatorum, ac periculorum nostræ salutis: quia licet via ad cælum circumdata sit inimicis ac periculis; nullum tamen majus potest esse periculum, quàm inchoare vitam cum securissima negligentia, quâ homines tractant se ipsos, corpus, mundum & omnia negotia vitæ humanæ; quia sub hæc struuntur doli inimicorum, qui non dormiunt, & priusquam sentiantur, faciunt maxima damna.

*homines ab
initio vitæ
studia
mundi se-
quuntur.*

III. Propterea Speculum veritatis æternæ Christus Dominus noster antequam perveniret ad ætatem, quâ homines incipiunt habere usum rationis, qui in ipso jam perfectissimus erat, dedit exempla diversissima à communibus aliorum sub initia suæ vitæ. Nondum bimulus voluit esse extra patriam, sine oblectamenti domûs maternæ, teneræ illi ætati præquam alteri totius vitæ, concessis & opportunis: Sed fecit se deportari in exilium procul à favore cognatorum, Herode priùs eum persequente,

*sed Christus
ab initio
statim con-
traria.*

*Deus ne-
commodat
se nobis. &
nostris de-
fectibus
uitur pro
sua gloria*

quàm nosset. Occasionem persecutioni dedit adventus Magorum in Jerusalem, inquirentium Regem nuper natum. Nam ut natus in Bethlehem Christus, ad exhibendam sibi debitam venerationem, ex pauperibus pastores: ita ex opulentis excivit sapientes quosdam, qui creduntur fuisse reges: ac pauperes quidem, velut minùs implicitos rebus terreris, vocavit expressa voce cælesti per Angelum; sed potentes, utpote minùs apti ad Divina, vocandi erant per ea, quibus erant assueti: cùm enim dediti essent Astrologiæ, misit eis stellam, cujus ductum libentiùs sequerentur. Neque id novum est, ut se DEUS accomodet nostro modo, & ex quacunque re in nobis repertaumat occasionem nos attrahendù ad se, & velut amantissimus Pater, conscius debilitatis, ac miseriarum horum filiorum extorrium, quærendi viam ad nos salvandos. Nisi enim per misericordiam suam uteretur inventionibus hujusmodi, domus ejus vacua maneret à propriis habitatoribus, & nativis hæredibus. Sic apparuit his Astrologis nova stella; (sic enim vocari solent ejusmodi res cælestes, licet stellæ non sint, sed cometæ aut planetæ) multùm tamen ab aliis differens: utpote non cælestis naturæ, sed aëriæ vel igneæ, neque fixa in firmamento, sed in regione aëris; neque ab ortu tendens in occasum, ut aliæ: imò, cùm longè minor esset omnibus aliis, multò tamen major apparebat, quia propinqua visui: talis autem splendoris ac pulchritudinis, ut provocaret ad videndum, quid portenderet. Et adjuvit eos, uti credendum est, Christus ipse, ut agnoscerent natum esse in Judæa Regem, qui Divinos mereatur honores.

IV. Ergo positis in via tanquam ignaris Divini consilii, nihil aliud venit in mentem, quàm ut quærerent natum Regem in urbe regia, ubi non dubitabant magnis solennitatibus publicam celebrari lætitiã. Permisit Dominus noster hanc opinionem de se adeò vilem, ut Jerosolymis ac per totam Judæam publicaretur Christi adventus in terram, & sic omnes bonæ mentis tantum bonum inquirent, desides autem excitarentur à somno sui interitùs. At Magi Jerosolymam ingressi viderunt omnia frigere, nullùmque de nato rege ferri sermonem, cujus ipsi signum in cælo se vidisse

Dolus Herodis.

vidisse ajebant, Possidebat tum Judæam Herodes Rex alienigena, sicut Patriarcha Jacob sub adventum Messiaë futurum prædixerat: erantque omnes tam procul ab expectatione tanti boni, & sic oppressi à tyranno, ut parùm res suas attenderent, sed potiùs omnes turbarentur his novis, cum timore, ne forsàn hæc esset nova regni affectatio, & causa seditionis, quâ everteretur publica pax & prosperitas. Major pars hujus perturbationis Regem concussit, ex tam nova & inexpectata interrogatione de nato novo Rege. Nôrat enim ex multo Judæorum usu, illos expectare Messiam, ac per eum libertatem patriæ, quam ipse exterus tenebat tyrannide, ac proinde timebat, ne hoc principium foret suæ ruinæ, malitia sua persuadente, ut Magis fidem haberet. Nihilominus callidè dissimulavit se his moveri, & Magis humaniter exceptis, consulit sapientes Judæorum, quidnam de hac re perhibeant Scripturæ, ne tam illustres hospites in errorem venirent. Responderunt illi ex prophetia Micheæ, ex Bethlehem oriturum dominatorem in Israël; sed malitiosè reticuerunt, quod præcipuum erat: *Et egressus ejus ab initio à diebus æternitatis*: quibus verbis indicabatur, eundem fore Deum, contra quem utique nihil poterat Herodis potentia. sed ne viderentur lætari novis, quibus posset deturbari à regno, adulati sunt ei, reticendo partem divini oraculi.

Adulatio
Scribarum.

Mich. s. v. z

V. Constituit Herodes occidere Christum in infantia, & absque strepitu prævertere illa, quæ possent oriri postmodum ab his initiis. Atque ita sub prætextu religionis ac pietatis, clam locutus est cum Magis, quia non fidebat Judæis, qui studebant apud eum manere in gratia. Sic Deus permittit, ut in vanum abeant studia humana, quæ declinant à recto tramite; nec habeant majores adversarios, quàm eos, quibus utuntur ministris contra justitiam & virtutem. Diligenter exquisivit à Magis, nullum dolum cogitantibus, modum, tempus, & alia, quæ adjuncta fuerant signo novi regis, & causas, cur ad eum quærendum venissent: fingensque dolere se, quòd non esset tam felix, ut in sua terra videret eum, quem ipsi in regione tam longinqua cognovissent; rogat, ut ocyùs profecti in Bethlehem, revertantur ad se Jerosolymam, certiore facturi de re; interim se adornaturum omnia, ut cum tota sua
aula

aula se conferat ad honorandum tantum Regem, ac seruiat ei, & educet eum in suo palatio, sicuti convenit. Profecti sunt Magi in Bethlehem, nihil suspicati insidiarum sub ea simulatione, ne uno quidem ex aula vel urbe regia, saltem curiositatis gratia, ipsos comitante; adeo cæci & incurii erant omnes in re, quæ ipsorum tanti intererat. Digressis ab urbe mox iterum apparuit stella, tantò magis eos exhilarans, quantò minùs votis responderat regia; & eos antecedens usque ad locum, ubi Christus erat, deduxit & stetit. Audito venientium strepitu sanctissima Virgo infantem accepit in ulnas, conservatura suum thesaurum. Magi verò interiùs illuminati à Verbo Incarnato, cognovere Divina consilia, & in ea domo paupere, & in infantilibus membris agnoscentes Majestatem immensam, adoraverunt Deum suum latentem in ea specie externa, & prostrati in terram obtulerunt sacro Infantulo aurum, Thus & Myrrham. Deus autem, contra cujus consilia nihil potest humana malitia, in somnis mandavit Magis, ne redirent ad Herodem: & ipsi consolatione pleni, delusà Herodis astutià, per aliam viam regressi sunt.

Magi Christum reperiunt colunt muneribus.

VI. Dum Herodes expectat reditum Magorum, aut quid iis actum sit, ac distineret aliis negotiis regni, Deo sic disponente, ut superna sua consilia proveheret, intercesserunt dies sat multi; inter quos Christus pacificè potuit præsentari in Templo, ac deferri in Nazareth: ubi Angelus apparuit Joseph. Herodes autem non dimisit ab animo propositum occidendi Christum proxima occasione, priusquam excreceret in suam ruinam. Ideo Pater æternus, qui videbat cogitationes illius, misit Angelum, qui in somnis diceret Joseph, suæ voluntatis esse, ut cum Matre ac Puero fugiat in Ægyptum, subducens eum insidiis Herodis; maneátque ibi, donec moneatur de reditu: quod contigit mortuo Herode, cum Nazarethum reversus est, præteritâ Judæâ, quia audierat, fratrem Herodis Archelaum ibi regnare. Habent revelationes factæ in somnis adjunctum cæleste lumen, quod facit certiores de rebus, quàm si oculis cernerentur. Ideo Patriarcha dicebat tam asseveratè: *Verè locus iste sanctus est: verè Dominus est in loco isto.* Hinc & Joseph de revelatione voluntatis divinæ nihil dubitans, illico surrexit noctu & abiit.

Christus in Ægyptum defertur.

Gen 28. vers. 16.

VII. Jam redeundo ad initium hujus historiae, clarum est quàm citò incipiat Christus subire persecutionem mundi, & eadem occasione docere verum, ac securum ingressum in vitam humanam, ut certi fiamus de caelo: videlicet ut vitam ordiamur tanquam peregrini, non habentes hic civitatem permanentem, sed ad aliam tendentes, quæ semper durabit. Fundamentum, quod jacimus in hac vita, destruit penitus fundamenta cæli, utpote prorsus illis contrarium. Quia æternitas vitæ cælestis habet suum initium, in moderato usu rerum hujus vitæ, veluti evanidarum & apparentium, per quas cursim transeundum est, anhelando semper ad vitam cælestem: & ruina vitæ mundanæ pro fundamento habet usum rerum transeuntium, quasi forent æternæ, insistendo illis quasi perpetuis cum oblivione & incuria vitæ semper durantis. Unde & Aposto- *Hebr. c. 11.* lus commendat Patriarchas, quòd demorati sint in terra promissionis, tanquam in aliena, mapalia habitantes: quia expectabant civitatem habentem fundamenta, cujus artifex & conditor Deus; & confitentes, quia hospites sunt & peregrini super terram, significabant se patriam inquirere; quod Deo sic placuit, ut non dedignatus sit vocari Deus illorum.

VIII. Peregrini paucis contenti sunt, neque procurant sibi *Peregrini* *semper an-* *helemus ad* *patriam.* superflua, quibus abundat patria: sed exilium vertere in patriam, semen est omnis peccati, & occupationis radicata in terra, dum tuti sunt in oblectationibus superfluis corporis, quibus magnam partem vitæ infumunt, cum gravissimo periculo salutis. Christus, qui more nostro voluit exulare, in ipsa infantia experiri dignatus est omnia incommoda itineris longi, & inopiæ satis magnæ parentum, quæ & adjumenta profectiois adimebat, & in terra aliena cogebat acu & securi quærere sustentationem: qui labores, etsi parentibus ejus dulces erant, ex præsentia talis Filii, non tamen desinebant esse corpori graves ac sensui.

IX. Christum in prima ætate persequuntur potentes in se- *Christum* *ab infantia* *persequun-* *tur Potentes.* culo, & ita quidem, ut cupiant eum tollere de mundo, qui mundo tam necessarius erat. Nempe voluit ipse facere præludium ejus, quod perpeffurus erat sub finem, tacendo, sufferendo & permit- tendo suis inimicis, ut facerent in suam Majestatem, quod vel-
lent;

lent; quàm etiam ideo occultabat. Quamvis ergo facile posset se his annis abscondere in cælo, maluit tamen peregrinationis incommoda subire in terra; maximè cum suâ præsentia sanctificanda esset Ægyptus, tot olim Sanctis abundatura. Ita semper è malis Dominus colligit bona, illa in instrumenta donorum suorum vertendo pro mundo: mundus non fert vitam ipsius, ideo ab infantia quærit eum occidere, nec cessat eum persequi usque ad ultimum, adeò, ut cum aliquid ab eo Dominus vellet accipere solatii, ipse felle & aceto illum expediat. Talis est mundus, cui servimus, & propter quem interimus. O cæcitas!

Dèo servium ab infantia.
Thren. 3.
v. 27.
Cantic. 7.
v. 13.
Psal. 38.
v. 10.

X. Clarè probat hic exemplo suo Christus, rectè dictum esse à Propheta, quòd bonum sit homini, si portaverit jugum ab adolescentia sua, quia sufferet omnia tranquillè & cum patientia, quippe à rebus terrenis elevatus in considerationem cælestium. Ideo Sponsa dixit: *Omnia poma, & nova & vetera, dilecte mi, servavi tibi*: & David, *Fortitudinem meam ad te custodiam*: non exspectando, donec per ætatem deficiat. Vera sapientia docet locupletare vitam multis meritis in exercitio virtutum, & laboribus exantlatis amore DEI. Valde autem grave est, ut juventus male assueta desinat in bonam senectam.

XI. Nolvit verò Christus ire in exilium, nisi priùs in templo oblatus fuisset patri æterno, & benedictionem accepisset ab eo: sic & nos debemus cum Christo sistere ad obediendum Patri æterno totòsque offerre nos ipsi.

EXERCITIUM

Circa Vocationem Magorum.

I.

Deus est major spes nostra.

ERigam spes meas, ac desideria mea in te, Deus meus, ac Dominus meus, clara lux mea, splendor, & unicum lumen tenentium mearum, quia in te habeo, quidquid possum desiderare certumque & perfectum remedium omnium necessitatum mearum. Non potest spes mea comprehendere immensam multitudinem bonorum, quæ à te possum sperare. Multum sperat, sed hoc multum non intelligit: Totum sperat, sed assequi non potest, qui

fit hoc Totum. Sperat res supernas & infinitas, sed longè abest à cognitione immensitatis bonorum tuorum. Major es, DEUS animæ meæ, quàm fit totum hoc Multum: ditior es, quàm Totum, incomprehensibilior quàm Infinitum; quando me extendo ad multum cogitandum de te, reperio te sine comparatione majorem, quàm fit tota magnitudo, multitudo, & immensitas, quam de te imaginor. Ergo, Theſaure mi superne & infinite, nolo scire, quantus sis, quia non possum: audeo tamen desiderare ac sperare hanc abyssum æternorum bonorum, & magnitudinum incomprehensibilem! Satis est mihi, Domine, credere, quòd quantuscunque sis, meus sis & ego sum creatura & servus istius Majestatis & Magnitudinis. O si absorbeat hoc nihilum quod ego sum, in hac abyssu tuæ infinitæ Essentiæ! O si hæc cæcitas mea submergatur in hoc splendore infinitæ lucis tuæ! O si mea ignorantia suffocetur in hoc pelago æternæ sapientiæ tuæ! Mors mea in hac vita vitali, tepiditas mea in sempiterno incendio amoris, & quidquid ego sum, & non sum, in hoc toto, quod tu es, ô DEUS meus, & omne Bonum meum! in te finem habebunt meæ miseriæ, lucem meæ tenebræ, emendationem infelices imperfectiones & culpæ. In te mundabor, sanabor, instruar, ducar, ut possim comparere coram te.

II, Facile erat, mi Domine, venire ad te, nisi me culpæ *Dei est nos ad se perdu- cere.* meæ separassent à te. Sed ego ex una parte me retraxi, & tu ex altera, tam es immensus, tam purus & sanctus, tam sublimis, ac tam divinus, ut, nisi tu me asportes, non possim venire ad te: sicut ipse dixisti: Neminem posse venire ad te, nisi Pater tuus traxerit eum. Quomodo ergo te potero videre in tenebris meis sine lumine tuo? Quomodo poterit te amare tepiditas mea, sine igne amoris tui? quomodo possum ex profunditate mea venire ad te, nisi magnitudo tua me sublevet? & nihilum quid poterit sine eo, qui fontem habet omnis Esse? Trahe me, Domine ad te, quandoquidem ideo in terram venisti. Vidisti me errare, & venisti me reducere in bonam viam. Vidisti me perire, & venisti me salvare. Vidisti me fugere, & venisti me trahere: vidisti me non posse venire ad te sine te, & descendisti me quærere. O mi Salvator, ô mi bone Pastor, ô mi sapientissime Gubernator, ô mi Reparator dilectissime!

Ego sum ille egenus, ille improbus, ille destitutus omni bono, ille languidus ad omnia, ille totus convulneratus peccatis, ille vinctus omni malorum genere, & super hæc omnia non agnosco meum statum miserabilem, nec sentio meam necessitatem, & incedo in vanitatibus ac mendaciis, semperque in meo luto volutor. Et tu, DEUS meus, totus occupatus in me, totus incensus amore hujus animæ peccatricis: omnes cogitationes tuæ versantur in quærendis inventionibus me vocandi, illuminandi, ac trahendi ad te. Vix natus in mundum vocasti pauperes Pastores, & misisti stellam Magis in Orientem. Noluisti vel uno puncto temporis esse in terra sine me, ut caperes me supersubstantiali tua pulchritudine, ut me ditares bonis supernis, ut teneres me semper in tua societate, vita, divitiis, & gloria infinita; ut non quiescas, donec me habeas tecum.

DEVS gratia sua nos prævenit.

III. Non exspectas, ut ego prior te amen, desiderem, & quæram: non exspectas, ut ego prior tibi serviam, & aliquid apud te merear; neque curas quidquam invenire in me, sed quia scis nihil te inventurum boni, quod à me proveniat, ex te suppeditas omnia, me excitando ad consentiendum & cooperandum bono, ad quod mihi præbes auxilia potentissima. Me amas ex gratia, ac trahis sine violentia: petis hoc tantum, ut te recipiam, ac sinam me duci ad te. O si hæc surditas mea te audiat! ô si in amando saltem sim secundus, posteaquam primus non sum! ô si me sinam trahi, posteaquam re-apse non quæro! si te sinerem agere, si annuerem ea, quæ petis à me, quàm tu faceres me conformem desiderio tuo, ac talem, in quo delectari possent purissimi oculi tui! Tu, lux divina, per materialem lucidumque cometam movisti animos Magorum, ac divino lumine tuo docuisti eos intus te quærere: sed præsentiam tuam, quantumvis amictu tenuibus membris, vilibus pannis involutam, in paupere domo, docuisti eos omnia, ut sic te agnoscerent & adorarent, ut DEUM ac Dominum suum. Ibi deposuerunt humiles cogitationes de rebus, ibi erexerunt sua desideria, ibi totum amorem suum transtulerunt in te, ibi subjecerunt spiritum & libertatem suam tuæ legi & obsequio, ibi te apprehenderunt pro cælesti suo thesauro, & tu cœpisti in

illu

illis tanquam in primitiis, possessionem omnium animarum, quas veneras quærere in terra. Tu, mi Domine, vocâsti eos, tu duxisti, tu docuisti eos tua arcana, tu implesti omnia desideria; exhilarâsti spiritum, tranquillâsti corda eorum.

IV. O Utinam possem gratus tibi esse, Deus meus, pro favoribus: quos exhibes nobis, quando minimè promeremur, aut cogitamus! quoties fit, ut per stellam bonæ inspirationis voces animam, ipsâque tacta unâ scintillâ tui amoris accedat ad te? Jam te invenit, jam te amittit: aliquando te tenet, aliquando coram ipsa dispares: jam videtur tibi placere, jam repellis eam à te, & in hac varietate jam hanc, jam aliam viam ingreditur, cogitans se tandem perventuram ad tui conspectum: & sicuti parum scit, ambulat in obscuro, ac frustratur, quia nescit ambulare; te desiderat, & nescit desiderare; amat, & nescit amare, nec verâ viam invenire. Et sic desperat de se ipsâ, & non cessat sperare in te: quia, quamvis velit, nescit tamen id exequi. O mi Deus oculi tui vident istam confusionem, & tu dissimulas usque ad illam felicem horam, quâ anima fessa sibi prorsus diffidat: tunc aperis ei oculos, ut videat viam veræ pacis ac vitæ. Ibi te videt sibi proximum; videt, quàm fuisset facile pervenire ad te. Videt, nescio quo modo, sine dubitatione, se vocari à te; doces eam subitò sine voce; & illa corpus, quamvis adhuc sibi sociatum, relinquit post se. Nescit anima se moveri, & semper procedit, & accedit ad te; habet te secum & quærit, & quantò magis quærit, tantò minùs te invenit. Si jubeas eam ingredi, paret; & si jubeas egredi, non discedit à te. Videt, nec ipsa scit quid; audit & nescit quid: solùm hoc scit, quis sit ille, quem audit. Et quia ille, quem videt non est res corporea: ille, quem audit, loquitur sine voce, amat, & amat, & semper amat magis magisque: & cùm videat, audiâtque tanquam peregrina à cælo, non potest dici verbis humanis id, quod amor, à te solet accipere etiam in hoc exilio. O mi Iesu, ô pufio animæ meæ, Rex meus, ac Deus meus, qualis est illa hora, qualis lux illa, qualis communicatio bonorum est illa? quale sit hoc donum tu scis, & scit etiam creatura tua, quæ accipit: sique esset fidelis nec recederet à tua consuetudine, conservans donum, quod accepit, re-

nunciando aliis omnibus, quæ hoc non sunt, esset felicissima; quantumvis tamen multum id sit, quod accipit in illa hora, non plus habet, quàm exiguam stillam infiniti maris bonorum, quæ olim daturus es illi.

Homo miser sine Deo.

V. O Anima animæ meæ, quid habet anima, quid boni habet, si tecum non sit? O vita vitæ meæ, quid est vita? quomodo vivit, si tecum non vivat? potestne cor meum habere te totum in toto, te solum in te solo, ac te solo gaudere? potestne dilatari & extendi in te, quantum vult, & tamen plenum esse miseriarum extra te? potestne creatura tua oblivisci suæ vilitatis, & requiescere in brachiis tuis & tamen à te discedere? Excavat terram, ut talpa; fodit, ut vermis, & in telis araneorum occupatur, quisquis procul à bonis, quæ tu animabus piis largiris, suas cogitationes habet ac sensus. O Amor Divine, qui potes ac desideras hæc dare omnibus, ideoque tot genera escarum ex te facis, quis tecum agit, quem non totum inflammes? & quis impedit, ne agas: quod cupis? quis disturbat hoc, quod moliris tanto conatu? Imple, Domine, omnia stellis, si debeamus ab his perducì ad te: inunda omnia exercitu Angelorum, si debeamus ab ipsis deduci ad te. Mi bone Iesu, ego despicio, nec scio quid loquar. Nascere tu; in his terrenis cordibus, & appare his cæcis spiritibus; ostende pulchritudinem tuam his animabus errantibus? solve ignem tui amoris, ut spargatur per omnes, & sic eas perducas ad te. Quid mihi prodest libertas arbitrii, si ita malè id occupem, ut te per ipsum non quæram? Nescio loqui, Deus meus; loquatur Amor tuus, & cum eo loquatur mea necessitas, & misericordia tua. Interveniatur Gratia tua, & Bonitas tua, intelligamus nos mutuo, consentiamus & faciamus fœdus perpetuum. Vive tu semper in me, & vivam ego semper in te, propter te, & in tuo servitio.

Dolor de lapsa rena.

VI. O infelix anima peccatrix, quæ semel recipit lucem, ac postea redit in suas tenebras; recipit ignem amoris, ac postea redit ad frigus; accipit veniam, ac postea ad peccata revertitur; fuit elevata ad interiora tuæ suavitatis, & opulentiae; capta tuâ pulchritudine, redit ad oblivionem, & exit inde, quò intraverat; sicut animal immundum revertitur ad volutabrum luti, & ut canis

nis

nis ad vomitum ! Deplorabo coram te, Deus meus ruïnā hanc infelicem ac miserabilem: amplectar sanctos pedes tuos, ac debilitatem, quam in te suscepisti pro meo remedio. Meritò me tradis inimicis meis, vitiis & pravis inclinationibus meis, & justè permittis me flagellari & confundi ab eis, posteaquam admissus in cellaria tuæ dulcedinis, redivi ad bibendum aquas turbidas, ac plenas veneno: & quia nolui manere in domo tua, meritò mendicabundus domos alienas oberro, in quibus nihil boni sum reperurus, & quia refugi suaves tuos amplexus, meritò nunc jaceo sub pedibus pravorum meorum affectuum, & vilitatum: quia infidelis in servando, quod mihi dedisti, jure mihi jam negas, quod peto: clamo, & non andis me: voco te, & non respondes. Nihilominus, Domine, cum hac tota perfidia mea, manes fidelis amicus meus, & amans Pastor hujus ovis errantis. Nondum misisti me ad inferos, nondum tradidisti in manus dæmonum, nondum condemnasti me, ut semper sim separatus à te, neque me deseruisti omnino; pro quo tibi infinitas gratias ago. Non supplico jam pro gratiis paternis, quas exhibes servis tuis fidelibus. Id oro, Domine, ne è domo tua ejicias me: recipe me in societatem tuorum: da mihi lacrimas, quæ sint mihi pro pane diu noctūque, donec invenias in me puritatem, quam petis, & ego denuo revertar ad videntem faciem tuam, ac pulchritudinem tuam, & tu amanter dicas animæ meæ: *Salus tua ego sum*, fortitudo tua & constantia tua: quia humiliata sibi que diffidens denuo quæret te, & tu glorificaberis lucro hominis perditum, illuminatione voluntariè cæci, & recuperatione ejus, qui merebatur expelli.

VII. Ego verò qualis qualis sum, prosterno me coram Divina tua Majestate, abscondita in hac infantia, & una cum sanctis istis Regibus tibi trado in servum perpetuum, ut una cum eis me recipias. Ego, Domine, pauper sum; nec aurum, nec thus, nec myrrham habeo, quam offeram tibi, tanquam Deo Homini, & Mortali, qualis amore mei es: sed quidquid mihi dedisti & quidquid tu es, offero tibi. Offero tibi pro peccatis meis dolorem de ipsis, quia cupio te non amplius offendere, & plurimum doleo, quòd te offenderim. Offero confessionem cordis & oris mei, sentiens,

*Oblatio
sui.*

riens, me ictum à viperis peccatorum meorum, quæ commisi; quia me separavi à te, verâ Salute animæ meæ. Offero voluntatem tibi satisfaciendi, vel ut tu de me satisfacias tibi, ut subjectus tuæ divinæ voluntati tibi possim placere. Offero tibi tres facultates animæ meæ, quas mihi dedisti: intellectum meum, ut illumines eum cognitione tuâ, ac purissima veritate tua: Memoriam, ut impleas eam te ipso, & purges ab omni cogitatione & imaginatione aliena à te. Voluntatem, ut eam tuo amore purifices, egoque totâ illâ te amem. Offero tibi tres virtutes, quas in baptismo mihi dedisti: Fidem, quâ me dilato ad omnia bona, quæ possum desiderare à te, credo & adoro pro unico DEO meo, Domino, Creatore, Redemptore ac Bono meo: Spem, quâ me dilato ad omnia bona, quæ possum desiderare à te: Charitatem, quâ desidero tecum uniri amore perpetuo. Offero tibi, bone JESU, quicquid tibi gratum est, & quicquid tu es propter me. Sanctissimum Corpus, purissimam animam tuam, ac Deitatem tuam, in qua sunt omnia bona & omnis sapientia. Offero me Patri tuo per pretiosum sanguinem tuum: Tibi per viscera misericordiæ & amorem, quo te Pater misit in terram. Offero me etiam Spiritui sancto, quia est amor infinitus, qui ardet semper in te, & in Patre æterno. Rogo te, Domine, ut sicut accepisti munera Magorum unâ cum cordibus eorum, & illuminasti eos tui cognitione, & fecisti ne redirent ad Herodem, inimicum tuum; ita me illumines, ô Lux divina; ac dirigas me. Veritas suprema; & resuscites me, Vita mea! Separa me ab omni eo, quod displicet tibi: non ducas extra domum tuam: non propellas me à divinis tuis pedibus. Hic, hic, hic, ô bone JESU, est totum bonum meum: hic in pace, & in temetipso dormiam, & requiescam.

VIII. O Mater Virginea, ô Virgo perpetua, Mater sanctissima, plena his divinis thesauris, qui sunt reclusi in hoc Domino, ac Patrona eorum; fac, oro, participem istum pauperulum, non dico auri, thuris, & myrrhæ, sed opum cælestium, quarum es Thesauraria; ut habeam tuo munere, quod offeram huic Domino, & quod ei sit gratum, ut & me recipiat, & capiat suo amore. O curia cælestis, quæ aditas & semper adoras hunc Regem supremum

mum, eique semper places; quid potes unquam petere, quod negetur, posteaquam vides clarè ipsum id velle dare, suis miseris exulibus? Impetrate mihi à sua divina Majestate, ne differat miserationes suas, & me trahat ad se, ut in vestra Societate ipsi assistam, Amen.

Oblatio Christi in Templo inter brachia Simeonis.

I.

QVADRAGESIMO die à partu Virgineo, voluit Christus, ut sua sanctissima mater duas Leges impleret: quibus non tenebatur: una, ne intraret in Templum, nisi diebus illis peractis, quibus mulier, quæ peperisset masculum, habebatur immunda, & offerret pro sui purificatione Agnum ac Turturem, si dives esset; vel si pauper duos Turtures aut Columbas. Sed Lex ipsa Mosaica eam absolvebat, cum expressè loqueretur de his, quæ genuissent operâ viri. Virgo autem conceperat de Spiritu sancto, sed ut vera Imitatrix Filii DEI, ac Domini sui, gloriosius putavit ei similem esse in humilitate, quàm credi Virginem, quod mundo erat ignotum: posteaquam suis oculis vidit ejus Majestatem divinam in omnibus ita humiliatum, ut haberet similitudinem peccatoris sine peccato: pluris enim fecit ejus esse ancillam & imitatricem, quàm Matrem. Altera Lex erat, ut omnis masculus primogenitus post 40. dies offerretur ac dedicaretur servitio DEI in Templo; ac si de tribu Levi, quæ erat Sacerdotalis, fuisset, semper in Templo serviret: à quo liberabatur, si esset ex alia tribu, redemptus certâ monetâ argenteâ. Sed & hac lege Christus non tenebatur, quia erat natus è Virgine, de quali partu lex lata non erat.

II. Oblatio ista facta est, velut à pauperibus: licet enim Reges Virgini reliquerint aurum, thus, & myrrham; tamen omnia mox distribuit in pauperes, ne discederet à sancta paupertate, quam Filius DEI volebat sequi, ac docere in terra. Et si fortè Mater DEI adhuc aliquid habuit ex illis muneribus, quo Agnum posset emere, & integrè satisfaceret Legi, dedit tamen Agnum

M

DEI

*Presentatio
Christi*

*B. Virginis
humilitas.*

*Et amor
paupertatis.*

DEI pro peccatis mundi, quo solo dives erat: ac pro se obtulit par-
turturum, vel duos pullos columbarum. Agnellum verò suum re-
demit ære præscripto pauperibus, quo reciperet Redemptorem
ac Salvatorem mundi. Et hic licet observare sanctum certamen
inter Matrem & Filium, de humilitate ac paupertate, dum uterque
studet haberi, qualis non erat. Quod totum oriebatur ex amore,
à quo nascebantur Iesu omnes ærumnæ.

*Simeon ju-
stus, non
sacerdos.*

III. S. Simeon non fuerat Sacerdos; quia Evangelium
tantum vocat eum hominem justum, timentem Deum, & avidè
desiderantem redemptionem mundi. Gravabant eum anni, at
sustentabat spes promissionis à Spiritu sancto sibi factæ, quòd non
esset moriturus, antequam vidisset Filium DEI factum hominem.
Et eo ipso die, quo Mater DEI erat ventura in Templum, ascen-
dit eodem, ut præstolaretur. Expectabat avidè, oculis ad por-
tam intentis cum suspirio attendens, quis intraret. Sed Spiritus
ei dicebat, non esse ullam eorum, quos videret, donec Virgo & Jo-
seph accesserunt cum infante, sine alia pompa, & apparatu, quam
strictissimæ paupertatis ac simplicitatis purissimæ: sed qui igno-
tus erat aliis omnibus, non potuit abscondi oculis ardentibus
amore divino. Ut primum sanctus hic Senex vidit Virginem, sta-
tim illum agnovit; & renovatus ut aquila in ardore solis divini,
qui totum inflammabat, & refrigerabat aquis divinis è pectore
suo æterno scaturientibus, despolians eum terrenis & antiquis plu-
mis, accepit infantem divinum in ulnas, à quo regebatur interior;
ac cœpit vetulus cygnus, hactenus raucus, præ desideriis alta voce
cantare sibimet dulcem lessum, quo suaviter finiebat hoc ærumno-
sum exilium, quòd suis oculis vidisset Lucem mundi, & supernam
salutem, ad quam anhelabat.

EXERCITIUM De Oblatione Christi & Simeone.

I.

*Oratio pro
humilitate.*

O Speculum veritatis æternæ, Bonitatis divinæ, Sapientiæ in-
comprehensibilis, Fili DEI vivi, Jesu Magister & Redemptor
meus, aperi oculos meos, ut cum S. Simeone te quæram, te videram,
cogno-

cognoscam tua divina consilia, & vias, quas tenes: & sicut ille, te inveniam, te complectar & in te quiescam. Et quia tantopere tibi placet humilitas, humilia meam superbiam, & tolle à me amorem mundi, & quia pro te elegisti paupertatem, perfectè me subijce tuæ obedientiæ, quando tam accuratè servas leges, quibus non obligaris. Non multum confidis meæ debilitari & tepori, & ideo parum exigis à me: sed divinus & immensus amor tuus in nulla re te eximit, etiamsi tuæ magnitudini ac potentiæ videatur contraria. Doce me, Domine, legem hujus amoris. Non cedit amor timori pœnarum, sed si purus ac verus est, te invenit, Deus meus, tantum ac tam dignum omni obsequio, ut omnia velit in eo consumere. Nam leges, & obligationes omnes ei videntur exiguæ: quia amor obligat ad omnia, pro levibus habendo hujus mundi maxima quæque, præ magnitudine divina, quam diligit. Cùm tuus amor me fecerit humilem, potero, ô Contemptor omnium, amator vilium, æstimator contemptus proprii, me totum dedere tuo servitio, & corpore crucifixo cum anima, subijcere me quantus sum tuis pedibus & obedientiæ. Mater tua sanctissima te solo prædives est: sancto Joseph, tibi serviendo, cum sua paupertate bene est; ac Simeon senex tantum ad tui conspectum anhelat: cùmque hæc omnia credam, quæ hi contestantur, nescio quomodo sic extra viam oberrem, se junctus à te.

II. Sed quomodo possum videre me, divina lux, si tu me non illumines, ut me cognoscam & horream; O DEUS animæ meæ, si tu vis infantes, antequam habeant usum rationis, & quidquam intelligant, offerri tibi, ut cùm ratione utentur, cognoscant se tuos jam esse; quomodo volo ego, ut feras, me, ratione & cognitione tui jam præditum, tuum non esse, nec tibi servire; muta hoc, Domine, per misericordiam tuam: amas me tu, ut me fa-

*Deploratio
annorum
te: ditorū.*

nes; horream ego me, ut saner. Doce me sentire ac dolere, quòd amiserim tot annos infantiæ, quibus te non cognovi, neque dilexi: licet enim tunc te non offenderim, tu me tamen amabas, & ego non reddebam vicem amoris. Multò magis autem, pie Domine, doce me plangere primitias intellectus mei & voluntatis, quas tibi non dedi, nec fui memor, ut tibi servirem: multa quoque peccata,

quæ commisi; perversas inclinationes, quas fui secutus, cum veni ad ætatem, quâ potui te offendere usque ad hanc horam, quâ ego miserabilis peccator me invenio ante purissimos oculos tuos. Quid ô bone JESU, si meminero totius vitæ meæ præteritæ, mensium & annorum, quos in peccatis gravibus transegi sine te, Vita, cordis mei? Clamabam hîc coram te, ut me audias: vocabo te donec respondeas: plangam donec me recipias. Ego te sequar, ô bone JESU, adjungam tibi me proximè, tecumque Patri æterno me offeram, ut me videns tecum non me despiciat. Et si agni, quos offerebant in sacrificium, non revertebantur ad matres, ego non sic faciam; sed offeram te, divine agnelle, pro me, tecumque immolabor, vel tecum revertar: non amplius recedam à te,

*Offertur
DEO Pat-
ri Filius.*

III. O Pater misericordiarum, ac Deus totius cõsolationis hîc offero tibi Unigenitum. Respice illum, Domine oculis misericordiæ, ut mihi per ipsum ignoscas, ac me recipias in gratiam. Vide illum hîc factum pro me infantem, agnellum mitem & humilem pro me. Et quamvis taceat, cor ejus, Domine, loquitur pro me. Ille se hîc sistit pro omnibus peccatoribus, ut nullus excludatur ab hoc remedio: ille tibi exhibet obedientiam pro omnibus. Ille pro omnibus implet legem, se offert pro omnibus. Purissima ejus mater est, quæ illum præsentat pro me. Aspice, Domine, hæc duo corda purissima, sanctissima & acceptissima tibi. Cum igitur nôris ignem, quo ardent; remedium peccatorum, quod flagitant; divitias, quæ inde nobis proveniunt, tu ipse suppedites; quomodo ergo, Domine mi, possibile erit, ut despicias amorosas voces horum inflammatorum spirituum, qui pro nobis à te petunt misericordiam? simul cum ipsis tibi, Domine, offero meam paupertatem, meas miseras, tempora, vitam cum suis ærumnis & solatiis, Corpus cum omnibus sensibus, Animam cum suis facultatibus, Mortem, & quidquid invenitur in me boni aut mali, bonum, ut crescat, dum tua res erit; malum, ut deficiat, te illud curante. Et sicut Christus noluit progredi in suo servitio, nisi præstita prius tibi solenniter obedientia, & accepta tua benedictione paterna; ita ego, qui nec volo, nec valeo quidquâ, peto humillimè hanc benedictionem, & hanc gratiam paternam, & ab hac die in perpetuum subdo me obedientiæ tuæ. Da mihi, Domine, spiri-

spiritum, qui docuit sacratissimam Virginem tuam sanctam voluntatem, & qui senem Simeonem duxit in Templum, ac fecit, ut cognosceret suum Salvatorem. Crea in me cor mundum, & spiritum novum, qui me ducat ad te, & renova eum quotidie in visceribus meis: licet enim exigua sint merita mea ad tantam gratiam, magna tamen & immensa hujus Agni divini merita eam merentur: Per ea me recipe in tuum, ut des mihi gratiam, & in ea me perficias cum perseverantia.

IV. Quæ dissimulatio & simplicitas est ea, quâ compares Jerosolymis, & in templo? quomodo non omnes creaturæ te agnoscunt, & obviam procedunt cum festo & lætitia? David canit, quod mare & Jordanis fugerit à populo tuo, cum educeres eum ex Ægypto; & quod montes & colles exultarint præ lætitia, & petreæ conversæ sint in fontes aquarum, quia sentiebant te, Domine, incedere in societate illorum; omnesque creaturæ festa celebrabant, cum aliud non transfret, quàm virga, quâ Moyses tuo mandato tanta fecerat miracula, & Arca testamenti, cum qua transibant Jordanem: quæ omnia erant figura veritatis reclusæ in te. Et tu, Domine, jam transis per medium populum tuum, & nemo te novit, præter justum Simeonem, & sanctam Annam Prophetissam. Infinitas tibi gratias ago, Deus meus, pro hoc privilegio, quod pauperibus facis, ac te amantibus. Cum disputares in templo inter Doctores, & superbos, faceresque divina miracula palàm in tota Judæa, non es agnitus. Hic dum es infans sine verbo, pauper, & egens auxilio Matris, non potes latere illos, qui te amant. Ut te videant, libenter sufferunt exilium suum; hæc vita videtur eis tolerabilis, donec te conspiciant & in tui conspectu desiderant eam finire.

V. O mea salus, divitiæ meæ maximæ, Vita, per quam vivo sine qua morior; quare te non vident oculi mei? ubi lates, Bonum meum, & Salus animæ meæ? Si adhuc durat ea sententia, non posse vivere hominem, ac te videre; concede mihi pacisci cum morte, ut perimat me, modò te videam. Ah appare huic meo pauperi cordi, ut te videam, quantum in hac vita interiùs potes videri. Sentiat te anima mea, & in tua præsentia mutantur omnes

M 3

mei

Soli amant
tes nove-
runt I E-
S V M.Desideriù
videndi
I E S V M.

mei sensus interni, ut capti à te, abhorreant ab omni eo, quod tu non es. Suspirat ad te, DEUS meus, anima mea. O quàm bene est mihi, cum te desidero, cum tibi placeo, te amo, tibi satisfacio, cum omnia nauseo præ desiderio te videndi! Agnosco te qualiscunque mihi appareas: si infans, te magnum invenio; si pauper, te sentio divitem; si confixus, reperio, te suavem. Sed quando per meam infelicitatem recedit cor meum à tui amore, non amplius te cognosco, neque in operibus, quæ facis, neque in magnitudine tuæ Majestatis: Uni me tecum, DEUS meus, fac ut reflectam oculos à vanitate, ac solam tuam veritatem cognoscam. Ostende huic meo cordi proscripto, quòd sis mea salus, & omne bonum meum. Concede mihi, ut in te solo mihi bene complaceam, qui es verus amicus & gloria animæ meæ. Adime mihi gustum rerum terrenarum, vel da mihi, ut cognoscam quis ego sim, ne excæcer ac deludar falsis bonis, & miseriis meis; sed ad te, summum, cæleste, ac perpetuum bonum meum semper aspirent viscera mea. Veni jam, Domine mi, noli differre tuum adventum; quia cum eo venient omnia bona, quæ desidero. Veni, ó bone Iesu, ad hanc animam peccatricem; libera eam à vinculis, quibus tenetur; mitte illam in libertatem spiritûs, ut liberè propter te renunciaret omnibus; te sequatur, te amplectatur, te possideat, tibi cantet cum hoc sancto sene cupiditatem suam ardentem, ac magnum desiderium, quo tenetur, æternum in te quiescendi. Amen

Explicatio Cantici Simeonis.

I.

*Nunc dimitis servum tuum, Domine,
secundum verbum tuum in pace.*

*Tristis vita
sine IESU.*

PROcul à te, bone Iesu, duco vitam meam, etsi te amo; semper in pœna sum, quia te non video. Dum hoc mihi differs, omnia terrena desipiunt; quia sunt falsa & apparentia bona: habent nihilominus tempus suum, ac tamdiu à verò bono meo me distinent. Gaudet corpus suis voluptatibus, sensus petunt suas recreationes, gloriatur mundus in suis vanitatibus, & unusquisque, ut videtur contentus, mihi dicit. se jam habere, quod desiderat. Sed
anima

anima mea, cui solus tu sufficis, & quæ alia omnia habet pro ludibrio cum magno dolore suspirat ad te; & dum differtur hoc bonum, vivit in perpetuo mœrore, donec tu verum bonum ejus advenias, eamque exhilaras. Libera me, Domine ab his laqueis: non me videam ita constrictum & in angustia. Ingredere, Domine, si es tu ipse; si te ego non video, tu me vides, & tu ades. Hoc est tempus meum, hæc hora mea jucunda. Adoro te, Salvator mi, felicitas mea; adoro te, vita animæ meæ: audisti vocem ejus, qui te desiderat ac diligit. Et quia pax venit, cur diutiùs vivo in periculo eam perdendi? non amplius cupio vivere. nec esse in mundo. Jam teneo pignus cæli: tempus est solvendi hæc vincula, & in pace emittendi me de carcere corporis.

Quia viderunt oculi mei Salutare tuum.

II. Quia illuminatis oculis animæ meæ divina salute, & IESVS præfente fonte formidant alia. suavi sua potentia, tota flagrans amore tui, jam non habet ultra, quod desideret; tantum cupit te clarè videre, & amare securè extra carcerem carnis. Quia hinc, o Salus mea, proscriptus & captivus in corpore terreno, & hac miseria, dum te clarè non videt spiritus meus, & tamen agnoscit suo modo; te solum esse, meam super substantialem salutem, captusque tua pulchritudine, fastidit alia omnia: quid ergo potest amplius desiderare, quàm ut videat eum, à quo sanatur, à quo rapitur, stringitur & inflammatur? Tu non alia causa venisti in terram, quàm ut animas amore tuo corripas.

Quod parasti ante faciem omnium populorum.

III. Ideo te Pater æternus dedit hominibus, ut justi & peccatores Judæi & Gentiles, & omnes absque discrimine te habeant IESVS vultur semper ob oculis? semper in oculis, Magistrum suum, Lucem suam, Gloriam suam, Thesaurum, & quidquid unquam possunt optare. Et quia oculis humanis non poterat conspici, factus es homo, ut semper nostro modo habeamus ob oculos in conversatione nostra eum, quem amor noster desiderat, & ad quem anima inflammata suspirat.

Lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel.

IV. A te, Domine, diffugiunt tenebræ, ac deteguntur nostri errores. Tuo splendore spiritui nostro revelas tuam pulchritudinem, ut dispellat omnes tenebras.

tudinem. & eam nos capis. In te populus Israël accipit gloria promissa, ac tecum habet coronam gloriae suae. Sed omnes animae cum divina luce tua, quae ipsis te praesente refulget, evadunt insignes, opulenta, ac plenae tui, tuorumque bonorum. Illumina me, Lux mea: sana me, Salus mea: exalta me, gloria mea: bea me, Felicitas mea. Videat te semper mea fides, amplectatur te amor meus, desideret te spes mea, possideat te, ut potest, anima mea, usque dum abeam ad te clarè videndum in illa vita immortalis, in illa unione inseparabili, in aeterna illa requie caelesti.

V. O Mater Salutis ac Lucis divinae, per illum amorem, quo obtulisti hunc Dominum Patri aeterno pro toto mundo, & te simul ad serviendum ei semper; offer & me suae divinae Majestati, ut maneam semper in domo ejus, occuper semper in servitio ejus, ac, dum vivo in hoc exilio, ardeat semper in me amor ejus.

O curia superna, jam accepta in mansiones aeternas, & securae de illis; qui clarè videtis, & securè possidetis eum, quem desiderastis, priusquam essetis in gloria; ne sitis proprietarii verorum bonorum, rapite illuc cor meum, donec veniat hora, quae dissipentur nebulae hujus miserabilis vitae, & liber ab eis associet vobis, & vobiscum laudem hunc Dominum, & gaudeam charo ejus aspectu in aeternum.

EXERCITIUM Circa Fugam Domini in Aegyptum.

I.

*Admiratio
sur fugiat
IESVS.*

Quem fugis, Domine mundi? quem, Fili Dei vivi? quod fugis, qui es verus locus refugii, in quo tuti sunt omnes rei, qui ad te confugiunt? Fugit te mors, quia es vita aeterna, in qua illa finitur: Fugit te tyrannus, quia es verus Judex, a quo ille condemnatur: Fugiunt te peccata & malitia, quia tu illa confundis: Fugit te caecitas inimicorum tuorum, quia tu es lux divina, quae illos manifestat: Fugit te omnis afflictio & aeterna, quia tu es verus consolator afflictorum, & corroborator debiliu: Ipsa fuga te fugit, quia tu es Deus aeternae Majestatis, qui es in omni loco, & nihil potes timere. Quod si convenit te fugere, Deus anima

animæ meæ, veni ad me; abscondere in corde meo; quia cum quærant infantem occidere, videndo me tam inveteratum peccatorem, non credent, te esse in corde tam vili; & tunc, mi bone Jesu, mihi dabis veniam, renovabis me tuâ præsentia, ac ditabis bonis spiritualibus, & tuo divino amore.

II. O me miserum, si talis sum ante oculos tuos, ut videns in me tanta peccata, malis fugere in Ægyptum, quàm in corde meo abscondi! Vis prius impetrare mihi misericordiam tuis ærumnis: vis prius ire in exilium, ut obtineas remedium omnibus meis miseriis. Duc me tecum, Domine; sim tibi comes, ac discam à te veritatem, quam doces; & sic me præparabis, ut etiam associer tibi in gloria. Tu es Dominus totius mundi, & non vis in eo de- *Docet nos vivere, ut peregrinos.* gere, nisi ut peregrinus: non vis in tuo habere certam patriam, nec ostendere, quòd placeat tibi propria & constans habitatio in terra, quæ est opus manuum tuarum. Esne tu fortè, Deus meus, proscriptus à beatitudine? Si anima tua beata est, ac semper videt tuam divinitatem, quid mali in terra potest inferri tuo corpori & humanitati, quia tractas eam, quasi peregrinam? mihi convenit gerere me pro peregrino, qui sum proscriptus à cælo: me decet non esse stabilem usquam, quia nusquam te video; & necesse habeo vivere sine affectu ad ullam rem terrenam, ne perdam ea, quæ mihi promittis in cælo, sed tibi, Deus meus, qui præsentia tuâ sanctificas omnia, res nulla potest nocere; non potes discedere à te ipso, neque ullo loco peregrinari, qui tuus non sit: & nihilominus abis peregrè adhuc in tenera ætate, nec vis quidquam de mundo, nisi per transitum, & velut in fuga.

III. Aperi, Deus meus, visera misericordiæ tuæ: sparge thesauros tuæ pietatis, ut sufferas & condones malæ vitæ meæ errores; quia licet claræ sint mihi ejus continuæ mutationes, nihilominus ego rebus ejus infisto, quasi non essent mutabiles. In me ipso experior, quòd extra te non inveniam ullam quietem: quia, ut me creasti propter te, ita non possum quietem invenire in alio. *In solo Deo quies.* Versantur ob oculos meos mutationes, & revolutiones mundi, ubi fûsque deque velut in viva rota feruntur omnia sine quiete, nec aliquid certius ista veritate vidi oculis meis, ex quo sum natus.

In te, Deus animæ meæ, video, quòd nolis aliquem locum in mundo constantem ac fixum: tuo exemplo disco, quòd nolis me ullâ re, etiam divinâ, quam in hac vita largiris, uti, nisi ut instrumento, quantumvis vera, certa ac tuta sit; & ut medio ad alia meliora ac beatiora, ut vel ea ipsa mutes meliore modo in cælo, vel alia substantia magis perfecta & immutabili. Et cum tanta institutione, cum tot experienciis, degit meum cor cæcum & miserabile in tanta oblivione rerum æternarum; habétque cogitationes ita sparsas, distractas, ac defixas in terrenis, ac si cælum cum terra suam conditionem mutâsset, & non hæc, sed illud variaretur. Quæ cæcitas est hæc, Deus meus, tam sine ratione ac fundamento? Video corporeis oculis hanc veritatem, & ago quasi nihil viderem. Quid me non sinit videre, quod video? O detestabilem affectum, sic adhærentem ei, quod sub manibus deficit; sic affixum ei, quod præterit; sic radicatum in eo, quod clarè videt consumi! Vides hic, Bonitas infinita, mala cordis istius, quod omni ex parte ostendit errores tam contrarios; quantis, & quàm parùm fundatis affectibus feratur in res, quæ à te sejungunt.

IV. Postquam pauper hæc anima inter promissiones bonorum æternorum ac cælestium, quæ credit, sperat ac desiderat; & inter bona terrena, vilia & mutabilia, quæ tam efflictim cupit, ut nullo eorum satiari possit; ut mereatur vitam æternam, & illa perpetua bona, omne tempus nimis longum, & omnem operam nimis gravem existimat; opera sunt frigida, desideria languida: sed ut gustet res terrenas & corruptibiles, vita, cura, & omnis occupatio videtur illi brevis & exigua: quin ipsam sæpe æternitatem brevem putaret, si haberet eam ad indulgendum suis vitiis. O quanta hinc peccata nascuntur in anima mea! quanta jactura bonorum verorum! quot affectus inordinati, quot radices aguntur, postea fructus venenosos laturæ! Quomodo convenit Fides, ac Spes mea Christiana cum his falsis affectibus & perversitatibus? Pie Domine, Redemptor misericors, qui me nôsti, & æquâ lance ponderas errores & illusiones meas; tu vides, quàm meritò dubitare possim de mea Fide, mea Charitate, mea Christianitate, quando opera eis tam sunt contraria, quæ credo ac probo. Eja, qui vides

*Nostris affectibus
Eius non
conveniunt
Fidei nostræ*

des hoc miserabile cor meum, respice tuum, ut sic medicinam facias meo. Considera, Domine, pro quo peregrineris; recordare, pro quo labores; & quia te non possum decipere, qui clarissimè vides omnia, medere tua virtute meæ miseriæ. Si mea peccata clamant ad te pro tua justitia, multò magis clamant vulnera animæ hujus, quam redemisti. Quare, Domine, venis, ut mecum exules, si in his paternis tuis visceribus non possum invenire remedium, ne perdam Patriam cælestem? Non possum esse tam magnus peccator, quàm tu es misericors: non possum, nec scio tam flagitare meum remedium, quàm tu id mihi conferre desideras. Aperi ergo, Deus meus, hæc divina & misericordia viscera huic pauperi creaturæ. Da, Domine, huic exuli vivum desiderium, & jugem cupiditatem te videndi, uti te clarè ostendis tuis amicis. Et quia es omnipotens ingredi in cor istud, eijce foras tuos inimicos, planta in eo arborem tui divini amoris, & extirpa à me omnem terrenum affectum. Ad te, ô divina Misericordia, suspirant meæ miseriæ: ad te, ô Æternitas bonorum, diriguntur desideria mearum mutationum: ad te, Bonum animæ meæ, referuntur omnes meæ imperfectiones, ut me faves. Eia, qui me detines in exilio inter viles has res terræ, fac, Domine, ut ijs agnitis, amor, ac desiderium hujus animæ semper feratur ad te, suspiret ad te.

V. Quomodo non sperabo, Domine, quòd sis me salvatu- *IESVS Æ-*
 rus, cum video te tam amantem peccatorum, ac tam libenter vi- *gypti san-*
 vere in regione ipsorum, tamque cupidum, eis ubique faciendi *Africanis*
 gratiam, ut etiam in fugam actus ab eis non recedas in cælum, *sua presen-*
 domicilium tuum pacificum, ubi adoraris, cognosceris ac diligeris *tia.*
 pro eo, quies: sed abis in Ægyptum, ut spiritu tuo exuras ac pur-
 ges illam terram corruptam & idololatricam: ut ingens numerus
 fervorum tuorum, & ovium tuarum, qui puro amore te olim
 quarent & imitabuntur, inveniant auram salubrem ac suavem;
 ubique cognoscaris, ameris & honoreris, ubi nomen tuum blasphe-
 mabatur, colebatur diabolus, & scelera dominabantur. Apparet,
 Deus meus, te non fugere, ut serves tuam vitam, sed ut consecres
 locum, in quo victuri sunt multi ex tuis Electis, pleni bonis spiri-
 tualibus, ac gratiis cælestibus, in quorum cordibus pacificè es re-
 gnaturus.

*IESVS est
semper oc-
cupatus in
nostra salu-
te.*

gnaturus. Quis dubitet, Domine DEUS meus, te impetrâsse à tuo Patre æterno spiritum, gratiam, amorem & robur pro illa immensa multitudine servorum, quos in ea regione quondam eras habiturus? quis dubitet te unumquemque eorum habuisse præsentem, quasi jam esset natus, ubi postea invenerunt tuum spiritum, & tuam virtutem, quam eis ibi meritus es ferventissimo amore & precibus. Ah, mi DEUS, cum videris maximè otiosi, tu maximè es occupatus in procurando nobis remedio. Adhuc parvulus ingrederis Ægyptum, toleras incommoda viæ, videris quasi vermiculus terræ, qui quærit foramen, quo se recipiat, ne conculcetur: interim autem tu, Fili DEI vivi, absconditus & ignotus consecras in ea regione paupertatem spiritûs, fugam rerum terrenarum, nesciri & contemni à mundo, perpetuum silentium, continuam orationem, mutam ac cæcam obedientiam, puritatem animæ, flagrantia desideria cæli, amorem incommoditatum, & necessitatum corporalium, sanctam simplicitatem, pugnas & victorias tentationum, vitam puri amoris, castitatem angelicam in corpore terreno & mortali. Et ea, quæ initiâsti in his regionibus, facies postea sequi magnum numerum servorum tuorum, quos ad hoc æterna Sapientia tua elegit. Quibus peractis reverteris in terram Judæam, ut ibi Mysteria Redemptionis nostræ adimpleas: quo facto redis in cælum, & mandas, ut hæc bona toto mundo spargantur.

*Affectuosa
petitiones.*

VI. O divitiæ animæ meæ, inter tot electos, quorum recordaris, ut eos sanctifices, & inflames tuo amore, ubi ego remaneo: Nonne tu, Domine comparas tuam doctrinam sagenæ missæ in mare, & omne genus piscium colligenti? quomodo ergo, mi DEUS, ego circumnato extra ipsam? non vident oculi tui purissimi, omnia pro me perdita esse, si maneam apud me solus? non vides, aquam non posse scaturire extra suam originem? ô Fons sanctitatis, sanctifica me: ô fons omnis lucis, illumina me: ô fons omnis bonitatis ac perfectionis, muta meam improbitatem: ô fons omnis esse & omnis vitæ, da vitam, & esse huic nihilo: ô fons ignis amoris, accende me & combure in me totum, quod displicet tibi! Ah bone Jesu, qui non habeo robur contra me ipsum, desidero, quod non habeo, quod abominor; sed omnia sic in me constituta sunt,

sunt, ut neque desiderium boni faciat me perfecte detestari mala, neque detestatio mali faciat me efficaciter desiderare bonum. Omnia in me sunt misera, & nihil est quale videtur. Sed quidquid est, ut ut est, tu solus vides, & pensas. O medice divine, cura me, quia nota est tibi infirmitas mea, & fac ut velim sanus fieri, sicut tu vis.

VII. Magister divine, doce me melius; Lux divina, doce me amplius veritatem tuam. Tu fugis unum inimicum, ut olim venias in manus multorum, qui te perempturi sunt; & me doces, ut fugiam eos, qui me persequuntur; at cum mihi faves, ita ordinas, ut non possim fugere, quin occurrant mihi ærumnæ majores, quàm fugiam. Quid est hoc rei, Deus meus? nonne melius est ferre mala præsentia, quàm fugiendo incurrere majora, nec habere spem effugiendi sive hos, sive alios crudeles, qui te expectant? O quantum me decipio, Deus meus, juxta consilia tua, cum fugio crucem quietis causa! ubi hanc inveniam, Deus meus, in hac vita? cur igitur vis ut fugiam, si inveniendo non sum inventurus quietem? Ah mi Deus, si scirem te nosse & amare, ego te intelligerem. Vis enim fugere peregrinum, ut ubique reperiat peregrinationem, & ubique suo exilio consecret suam sanctam patientiam & impleatur totus obsequio & amore tuo. Aut forsàn vis, Domine, ut non curem ærumnas, nec alia, quæ de me facturus es, neque aliud cogitem, quàm ut nusquam consistam in rebus terrenis, sed in omnibus studeam tibi servire, & sinam te facere tuam divinam voluntatem? O Domine, qui vis esse Dominus cordis istius, cur illud non plenè se tibi conformat? cur non animadvertit, quòd sic me liberare velis à servitute, quæ me seiungit à te; quando videbo me in libertate securo, eròque tuus tantùm captivus, qui es lux hujus animæ? O summæ divitiæ, si tu solus esses meus thesaurus, ego viverem in hac regione terrena cum solo desiderio patriæ supernæ: si me viderem inter amicos, aspirarem solùm ad amicitiam tuam, si inter inimicos, haberem te mecum; in carcere liber essem in tua societate, in libertate, essem vinctus tuo amore; ubique crux mihi esset amica, & tu esses socius meus; & quantò minus quietis haberem in terra, tantò plus invenirem in te. Cur, o Deus meus, cupio patriam? cur delicias in hac vita? cur desidero videre mundum, nisi ut

IESVS hæc fuga servat se majoribus malis.

Fallitur homo fugiens crucem.

ubique crucifigat, ubiq; cor meum te laudet, adoret te anima mea desideret te spiritus meus, & amor meus te complectatur? Ah Domine, nescio loqui! Vive, Domine in me: peregrinare in me: veni semper mecum, ut sanctifices me totum, & ego amem te solum.

VIII. O Regina Angelorum sanctissima, cui nulla ærumna gravis, nulla peregrinatio laboriosa fuit, nulla regio extranea, in societate tui JESU: cum hoc thesauro omnis regio tibi patria fuit, omne servitium suave, omnis obedientia levis. Quid boni possum habere sine societate hujus Domini? Recordare Domina nostra, & Advocata peccatorum, fructum ipsius ac tuorum laborum esse, acquirere multos filios, trahere ad se errantes, & recuperare oves amissas. Adjuva, Domina, hanc ovem errantem, quam persequuntur inimici in hac lacrimarum valle: reduc me ad gregem suum, ut sequar & audiam semper vocem hujus divini pastoris.

O cives cælestes ferte opem huic exuli, constituto in tantis periculis, ut dimisso amore terrenorum, mereatur semper esse in vestra Societate. Amen.

ÆRUMNA IX.

Sensus Domini ex Cæde infantum.

I.

*Crudele
Tyranni
Consilium.*



Digerat Christus Dominus noster in Ægyptum, & jam duo anni erant elapsi à sua natiuitate, cum tyrannus Herodes non potuit pacare suspicionem haustam, de nato in suis terris rivali, & naturali successore sui regni: & uti statuerat mox Christum occidere, ubi esset sibi manifestatus à magis; ita certò sibi persuasit sua consilia prodita esse, cum videret illos non reverti, sicut convenerat: cumque se videret ab eis delusum, confirmatus est in sua suspitione ac timore; & dissimulatione versa in iram & indignationem, adinvenit crudelitatem terribilem, necandi omnes infantes; inter quos Christus non posset elabi. Neque fidebat Judæis, ut auderet indagare solum puerum JESUM, quem cupiebat sublatum, ne fortè alio substituto, ipse maneret superstes, si occidisset unicum tantum